



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis LVIII. Ad Decembris Quæsitum tertium. Argumentum. Deciditur Quæstio, An Communio facta pro animabus Purgatorii, iisdem prosit ad satisfactionem pœnarum? Exponuntur tria notanda. Unum, quòd ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

DECISIONIS LVIII.

Ad Decembris Quæsitum tertium.

ARGUMENTUM.

Deciditur Quæstio, an Communio facta pro Animabus Purgatorii, iisdem profit ad satisfactionem poenarum? Exponuntur tria notanda. Unum, quod Animæ torquentur in Purgatorio pro satisfactione suorum peccatorum. Alterum, quod iuvantur à Viatoribus per Sacrificium Missæ, per indulgentias, & per opera satisfactoria iisdem applicata. Tertium: non solum si ipsa opera fiant ab existentibus in gratia secundum Thomistas: sed etiam secundum Scotistas à non existentibus in gratia. Concluditur, Communionem Eucharisticam esse satisfactoriam pro Animabus Purgatorii ex decem rationibus hic consideratis; nec non auctoritatibus, & exemplis.

SUMMARIUM.

- 1 *Sterna dicitur quasi sine threna; id est, liberally, & sine murmuratione.*
- 2 *Pœna damni, & pœna sensus torquentur anima in Purgatorio.*
- 3 *Ignem materiali torqueri animas Purgatorii est de fide.*
- 4 *Anima Purgatorii liberatur vel per propriam satisfactionem, vel per aliorum suffragia.*
- 5 *Pœna suffertur voluntarie tripliciter secundum S. Bonavent.*
- 6 *Suffragium plures habet significationes.*
- 7 *Suffragia pro animabus Purgatorii sunt Missa, Indulgentia, & opera satisfactoria, que reducuntur ad jejunia, orationes & elemosynas.*
- 8 *Satisfacere potest unus fidelis pro alio fidele etiam in hac vita.*
- 9 *Suffragia vivorum prodesse defunctis est de fide.*
- 10 *Anima Purgatorii iuvantur à viatoribus per satisfactionem; & à Beatis in cœlo per impetrationem.*
- 11 *Anima Purgatorii an iuventur per suffragia facta ab illis, qui sunt in peccato mortali? Quod non, secundum Thomistas n. 12. Quod sic, secundum Scotistas. ibid.*
- 12 *Suffragia facta à peccatore, ut juvent Animas Purgatorii, sex Casus distinguendi secundum Emin. Card. de Lauræa.*
- 13 *Anima Purgatorii iuvantur Communionem à Viatore devotè pro eis facta ob decem rationes.*
- 14 *Elemosyna est magis satisfactoria, quam jejunium.*
- 15 *S. Thomas circa Communionem pro animabus Purgatorii declarat.*
- 16 *Exempla de Communionem suffragante animabus Purgatorii.*
- 17 *S. Monica Communionem offerbat pro animabus Purgatorii.*

QUÆSITUM TERTIUM.

An Communio facta pro animabus Purgatorii, iisdem profit ad satisfactionem poenarum.

Sterna loco, instantibus Natalitius festivitibus, in quibus boni omnis ergo ab antiquo

solvi consuevit. *can. Legant. dist. 37.* additum fuit hoc tertium quæsitum, cuius resolutionem, non ex obligatione, sed ex liberalitate, & absque murmure à studiosis exhibitam recepi; equidem pro *sterna*, quæ sic dicitur, quasi *sine threna*, id est sine lamentatione, juxta Glossam in *cit. can. legant.* Pro cuius pii quæsti intelligentia fuerunt iudem proposita tria notanda; quorum.

Primum est: Animas fidelium, quæ ab omni mortalis culpæ reatu ex hac vita decesserunt, antequam integrè satisfacerent poenis debitis pro peccatis actualibus, quo ad culpam remissis; vel pro peccatis venialibus, cum quibus nondum quo ad culpam remissis, è corporibus exierunt, detineri in Purgatorio: ubi duplici genere gravissimarum poenarum torquentur, donec peccatis satisfaciant; scilicet pœna damni, quæ est carentia divinæ Visionis; & pœna sensus, quæ est cruciatus per ignem; cuius applicatio an fiat à demonibus, vel immediate à Divina Justitia, disputant Theologi, quos citat Mastrius in *Theol. Moral. disp. 24. num. 24.* advertens animas illas materiali igne puniri, quod quidem infallibile est, & de fide, etiam modus, quo ille ignis torqueat animas spirituales, non est curiosè ab intellectu nostro investigandus, cum sic occultè ordinet Divina Justitia, ut ait D. Bonavent. in *4. dist. 21. p. 1. art. 2. q. 2.* subdens pœnam Purgatorii esse acerbiorē qualibet pœna hujus vitæ; quod testatur etiam S. Thom. Scotus, & SS. Patres relati à Mastrius d. *disp. 24. num. 26.* Et ab Emin. Cardin. de Lauræa in *4. sent. tom. 4. disput. 26. num. 4.* à quibus poenis certum quoque est, animas non evadere, donec sint plenè purgatæ, vel per propriam satisfactionem; vel per aliorum preces, & suffragia, juxta illud, quod scriptum est *Matth. 5. 26. Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Porro pœna purgatorii animabus illis voluntariæ sunt, non absolute, sed conditionatè; quatenus scilicet sunt illatæ à Deo ad earum purificationem, ut valeant in æternam beatitudinem intrare, quod sic declarat S. Bonavent. *4. dist. 20. cl. p. 1. art. 1. q. 3.* Tripliciter aliqua pœna dicitur voluntaria: Uno modo, quia assumitur à voluntate imperante, sicut est pœna poenitentialis. Alio modo, quia sustinetur à voluntate, acceptante, sicut est pœna Martyrum, quæ adeo eis placet, quod ab ea liberari non vellent. Tertio modo est quædam pœna, quæ sustinetur à voluntate tolerante, ut pœna quæ est in patientia; ita quod ejus oppositum est in desiderio; sicut facit infirmus desiderans sanitatem; sed patienter sustinens infirmitatem tamquam pœnam divinitus inflictam; & hoc modo animæ Purgatorii sustinent eas poenas, volitas quidem, quia à Deo inflictas, sed cum vehementi desiderio egrediendi ex illis, & ascendendi ad gloriam; ad quem effectum exoptant suffragia nostra, ut pro eis satisfaciamus; & illas ab illo carcere liberemus.

Secundum Notandum, Suffragii nomen plura significat. Primo votum, quod in electionibus fertur ad favorem alicujus, ut possit adipisci officium, vel dignitatem; *cap. Perpetuo. de elect. in 6.* Secundo Patrocinium Advocati l. *Unica C. d. Susfrag. Tertio Salarium, quod Advocatis solvitur. Rubr. in Auth. Ut litig. jurent. Quarto auxilium, quod alteri ab altero præbetur, ut eum sublevet ab aliqua miseria; & talia sunt suffragia pro animabus Purgatorii; quæ tria sunt, *Sacrosanctum Missæ Sacrificium, Indulgentia, & Opera satisfactoria,* quæ reducuntur pariter ad tria capita, ad *jejunia**

nia, & hoc nomine comprehenduntur omnes pœnalitates; ad orationes complectentes omnes actus religionis, & virtutis, & ad eleemosynas, se extendentes ad quæcunque opera pietatis, & charitatis, de quibus latè Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. disp. 26. art. 11. & art. 13. Sicut autem est de fide, quod hæc suffragia communicantur inter fideles viventes, tanquam membra unius corporis, quod est Ecclesia; cujus caput est Christus; unde dicimus in Symbolo Apostolico *Sanctorum Communionem*; adeo ut unus possit satisfacere pro pœnis temporalibus ab alio debitis pro peccatis, ut docet utraque Schola Theologorum, & demonstrat Mastrius in *Theol. morali disp. 23. num. 73.* & Eminentiſs. Cardin. de Lugo de *Pœnitent. disp. 26. sect. 1.* non solum de congruo; sed etiam de condigno, & de iustitia; ita de fide, est, quod suffragia viventium profunt defunctis existentibus in Purgatorio ad remissionem pœnarum, juxta illud 2. *Machab. 12.*

8 *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare; ut à peccatis solvantur;* quod in plurimis Conciliis definitum est contra hæreticos; ea ratione, quia charitas, quæ est vinculum uniens membra Ecclesiæ non solum se extendit ad vivos, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt; charitas enim cum vita corporalis non finitur; ut ait Apostolus. 1. *Corinth. 14. Charitas nunquam excidit.* quod eruditè, ac piè probat Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. disp. 26. art. 10. & art. 13. ubi advertit, quod suffragia pro animabus Purgatorii profunt iisdem vel per modum satisfactionis, & iustitiæ, & sunt illa quæ sunt à viatoribus, vel per modum impetrationis, & hæc non solum proveniunt à viatoribus viventibus in hac vita; sed etiam à Beatis, qui sunt in cælo; juxta illam Orationem in Missa Quotidiana pro defunctis, *Deus venia largitor*, ibi: *Beata Maria semper virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis &c.* & aliam orationem, quæ dicitur in quadagesima tertio loco, *Omnipotens sempiterne Deus*, ibi *intercedentibus omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas;* quam doctrinam prosequitur etiam Mastrius in *Theol. Moral. disp. 24. num. 70.*

Tertium notandum. Magna est controversia inter Scholasticos, An fideles, ut profunt animabus Purgatorii per suffragia debeant esse in statu gratiæ; an sufficiat, etiam si sint in mortali, dummodo opera, quæ pro illis exercent, sint virtutis, & pœnalis? Et quod debeant esse in statu gratiæ, ad hoc ut profint vel ipsi operanti, vel aliis, quibus applicantur, live vivis, live defunctis tenent Thomistæ, sequenti opinionem D. Thom. in 4. sent. disp. 15. q. 1. art. 3. q. 2. & disp. 45. q. 2. art. 1. quæstion. 3. Gonet. tom. 5. tract. 5. de Pœnit. disp. 13. art. 2. §. 1. & Emin. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 26. num. 27. Contrarium autè, scilicet quod pro se, pro aliis & pro defunctis suffragia fieri possint ab existente in mortali, & profint iisdem, docet Scotistæ cum Scoto, & Fabro in 4. dist. 19. disp. 35. c. 6. n. 12. Major Gabriel Medina & Navarr. in cap. 1. de pœnitent. dist. 6. num. 45. & 46. & in Manuali de satisfact. cap. 3. num. 6. & de Oratione cap. 19. concl. 4. & cap. 20. num. 39. (ubi tamen loquitur de Missa, vel de Ministris Ecclesiæ) Et ad favorem defunctorum inclinat etiam S. Roman. in 4. dist. 45. p. 2. quæst. 2. in resol. quæst. ut refert Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. disp. 26. art. 14. ubi juxta mentem ejusdem Seraphici Doctoris distinguit sequentes casus. I. Si suffragium

oblatum pro defunctis consistat in sacrificio Missæ; in hoc casu, live fiat per ministrum in gratia existentem; live in peccato, valet per modum satisfactionis pro existente in Purgatorio; quod concorder docent tam Thomistæ, quam Scotistæ, ac Neoterici, quia Sacrificium Missæ prodest ex opere operato, & ejus efficacia non pendet à bonitate ministri. II. Si pro defunctis offerantur Orationes, aliæque divina officia à ministris Ecclesiasticis nomine Ecclesiæ, & quamvis isti sint in peccato mortali, profunt defunctis per modum impetrationis, secundum aliquos, at secundum alios, etiam per modum satisfactionis, quia attenditur dignitas, & sanctitas Ecclesiæ, cujus nomine offeruntur, exemplo pussimi Principis, cujus instantia exauditur ab alio Principe, etsi ejus Orator sit invisus. III. Si suffragia quæcunque pro defunctis fiant à personis privatis nomine proprio, & ipsæ sint in gratia? profunt absque dubio per modum satisfactionis. IV. Si suffragia pro defunctis relicta sint à testatoribus, qui decesserunt in gratia? & fiant ab Hæredibus, vel Commissariis, qui non sunt in gratia profunt ipsis defunctis pro pœnarum satisfactione, quia illi operantur non virtute propria, sed virtute, & voluntate testatorum. V. Si suffragia ordinentur à persona privata existente in gratia; sed ea exequatur aliquis non existens in gratia? adhuc profunt ad satisfaciendū pro defunctis; ut si dominus bonus committat servo malo, quod det eleemosynam pauperibus, vel faciat jejunium, aliudve simile opus pœnale. VI. Si suffragia offerantur pro defunctis à personis privatis existentibus in peccato mortali, ut orationes, jejunia, eleemosynæ, peregrinationes, indulgentiæ, & similia; & in hoc casu, ut supra dictum est, duæ sunt opiniones, una negans ea prodesse defunctis pro satisfactione pœnarum; alia affirmans, & tenens ea prodesse ob plures rationes, sed præcipuè, quia iste suffragans est unitus in charitate saltem habituali cum animabus Purgatorii, & movetur ex auxilio supernaturali ad illa suffragia præstanda. Item quia in nullo loco sacræ Scripturæ, ubi commendantur suffragia pro mortuis, fit mentio de necessitate gratiæ respectu suffragantis. Item quia omnia Concilia, quæ loquuntur de suffragiis defunctorum, dicunt; ea valere, præscindendo à statu gratiæ, vel peccati illorum, qui præstant suffragia. Item quia talis est quotidiana praxis Ecclesiæ, in qua tot bona in cibos, & vestitus pauperum dispensantur pro animabus Purgatorii, & tot alia pietatis officia exercentur pro eisdem; & tamen nulla fit mentio de statu gratiæ. Quapropter hanc opinionem tamquam magis piam defendit Faber in 4. dist. 19. disp. 37. num. 61. cui adhærent omnes Scotistæ innixi principiis Scoti de satisfactione propria; nec non Gandavenſis tom. 2. quodlib. 9. quæst. 20. & ibi Zuccolius Patavinus, & concordant ex moralistis Naldus V. Indulgentia num. 7. Pellizzar. tom. 2. Man. Reg. tract. 8. cap. 5. num. 196. & 252. Byssus in Hæurgia tom. 1. Verb. Indulgentia num. 105. §. 14. Cotonius lib. 2. contr. 11. n. 13. & 46. & novissimè Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. in 4. sent. disp. 26. art. 14. quem legere non pigebit animarum Purgatorii devotos.

His prænotatis valere Communionem devotè factam pro animabus Purgatorii pro satisfactione pœnarum ab illis debitæ, juxta hoc tertium propositum quæstionum,

quæsitum, respondet Emin. Card. Capisucchi in *Controversiis Theologicis Controvers. 4. quæst. Unica.* ex sequentibus rationibus: *Primo.* Certum est, atque de fide, quod fideles in hac vita degentes possunt satis facere pro defunctis per bona opera eis applicata. Sed sacra Communio devotè facta est opus bonum; immò omnium operum bonorum præstantissimum. Ergo valet pro satisfactione pœnarum, quas defuncti luere debent in Purgatorio. *Secundo.* Illa opera præcipuè nata sunt mortuis suffragare, quæ maximè pertinent ad communicationem charitatis. S. Thom. in 4. sent. dist. 45. art. 3. quæstion. 1. in corp. Sed Sacramentum Eucharistiæ, maximè ad charitatem pertinet, quia est Sacramentum Ecclesiasticæ unionis, continens Christum, in quo tota Ecclesia unitur, & consolidatur. Ergo Communio Eucharistica maximè prodest defunctis. *Tertiò* actus Religionis ex opere operantis est satisfactorius coram Deo, & potest offerri pro alio in satisfactionem, Suarez in 3. part. D. Thom. qu. 79. art. 8. disput. 63. sect. 10. in fine. Sed Communio Eucharistica est actus eximius Religionis. Ergo cedere potest in suffragium animabus Purgatorii. *Quartò.* Actus meritorii, si offerantur pro defunctis, profunt iisdem, vel per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis. Suarez d. sect. 10. Sed sacri Panis devota manducatio est actus meritorius, habens maximam congruitatem ad meritum, & impetrationem, ob realem Christi præsentiam, cui ferventiùs Communicantes orationes fundit. S. Thom. in 4. dist. 41. q. 1. art. 3. quæstion. 1. Ergo Communio maximè juvat animas Purgatorii, si in earum suffragium sit facta. *Quintò* piæ consuetudines sunt servandæ. cap. Novit. dist. 32. maximè quæ sunt conformes rationi; cap. Frustra. dist. 8. & ubi lex Divina non loquitur consuetudines, & instituta majorum sunt sequenda. cap. In his dist. 11. Sed universalis est consuetudo omnium Ecclesiarum, ut fideles non solumpii, sed etiam docti communicent pro animabus Purgatorii. Suarez de Euchar. d. dist. 63. sect. 10. Vers. Dices, & hæc consuetudo fovet pietatem, & innidit rationi. Ergo tamquam proficua, & satisfaciens pro pœnis earum, est tenenda. *Sextò.* Si Communio non satisfaceret pro pœnis animarum Purgatorii; illa esset ratio, quia non videtur esse opus pœnale. Sed jam in resolutione secundi quæsti probatum est, omnem actum bonum causare aliquam afflictionem vel in animo, vel in corpore; quod demonstrat S. Thom. in 4. dist. 11. q. 1. art. 4. quæstion. 3. ad 1. Et sacra Communio, ut devotè fiat, est difficillima, cum debeat homo se probare per conscientie discussionem, præparare per plures orationes; & animam ornare per piæ meditationes; ex quibus omnibus resultat labor, pœna, & incommodum. Ergo censenda est meritoria, & satisfactoria pro animabus Purgatorii, quibus applicatur. *Septimò.* ut opus sit satisfactorium, magis attenditur ad ejus bonitatem, quam ad 15 ejus pœnalitatem: hinc elemosyna est plus satisfactoria, quam jejunium, licet illud sit magis pœnale, quia illa plus habet de ratione boni. S. Thom. in 4. dist. 15. art. 4. q. 2. & art. 2. quæst. 12. ad 2. Sed sumptuo devota lacra Eucharistiæ est actus summe bonitatis, & præstantiæ. Ergo, etiamsi non haberet multum pœnalitatis, esse debet valde satisfactoria pro animabus Purgatorii. *Octavò* ubi quis exercet opus charitatis pro satisfactione pœnarum proximi sui, minor pœna sufficit; quam si satisfaceret pro se ipso; & hoc intuitu suæ charitatis. S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæstion. 1. ad 1.

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

Sed applicare Communionem pro animabus Purgatorii est opus eximie charitatis. Ergo quamvis in eo parva sit pœna, valde juvat ad satisfactionem. *Nonò.* quò ferventiores sunt orationes pro animabus purgantibus, eo uberius est earum levamen saltem per modum impetrationis. Sed qui devotè recipit sacram Eucharistiæ, solet, ob præsentiam realem Christi Domini, ferventiùs orare; Ergo magis impetrat levamen, pro quibus orat. *Decimò* quanto charior quis est Deo, tanto est habilior ad impetrandam ejus misericordiam. Sed per Communionem sacram fideles sunt Deo charissimi, supposita interiori puritate, reverentia, & devotione. Ergo majorem Misericordie Divinæ effectum, ad suffragium animarum Purgatorii impetrant in eadem Communionem. Idcirco prodesse ad satisfactionem pro purgatorii animabus summptionem devotam Eucharistiæ; præter Emin. Card. Capisucchiū supracit. & Suarez. d. dist. 63. sect. 10. tenent Sylvius in 3. part. q. 79. art. 7. Pasqualigus in *Sacra morali Doctrina* dist. 117. sect. 10. num. 52. & Joan. Sancius in *select. disp.* 25. num. 14. Quibus ad stipulantur Doctores sustinentes, posse Confessarium imponere pro pœnitentia penitenti orationes recitandas pro defunctis: inter quos Collegium Salmanticen. De Sacrament. tract. 6. cap. 10. num. 37. Eminent. Card. de Lugo de Penit. disp. 24. num. 20. & 21. & pluribus citatis Diana part. 3. tract. 4. resol. 54. & part. 9. tract. 7. res. 57. ac etiam part. 11. tract. 8. res. 26. Quæ leguntur in Operis Coordinatis *tom. primo* tract. 6. resol. 15. resol. 17. & resol. 18.

His addere licet, quæ scribit in Vita B. Joannæ à Cruce Antonius Dazza cap. 7. videlicet. *Quidam* infelix post sumptum indigne Sacram Viaticum, antequam in stomachum descenderet, in infernum est præcipitatus. At Angelus ex illius ore Sacram Eucharistiæ sumentes, B. Joannæ à Cruce ex Seraphico Ordine detulerunt præcipientes, ut illam dignè pro animabus Purgatorii sumeret, quod factum fuit à purissima Virgine. Ergo Sacra Communio levat à pœnis Animas Purgatorii.

Cæterum dictis hucusque ob stare videntur duo textus S. Thomæ: unus videlicet in 3. p. q. 79. art. 7. ad tertium ibi: *Et ideo ex hoc, quod aliquis sumit Corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquid juvamentum.* Alter vero in c. 6. Joann. lect. 6. ubi, cum Angelicus Doctor egisset de effectibus hujus Sacramenti, concludit his verbis: *ex quo patet, quod laici sumentes 16 Eucharistiæ pro his, qui sunt in Purgatorio, errant.* Sed facilis est responsio, & resolutio horum objectorum; dicendo, quod verba supradicta S. Thomæ sunt intelligenda de effectu Sacramenti Eucharistiæ ex opere operato, non se extendente ultra suscipientem, quia hæc extensio in alios pertinet ad Eucharistiæ, non in quantum Sacramentum, sed in quantum est Sacrificium. At ex opere operantis concedit expressè Angelicus Doctor, effectum, & juvamentum extendi etiam ad alios, ad quos percipiens, id est Communicans, dirigit suam intentionem, ut legentibus dictos textus apparet; & advertunt Gabriel de Henao in tract. de Sacram. Euchar. dist. 13. n. 53. Et Eminentiss. Card. Capisucchi d. controvers. 4. §. 4. concludens ex sententia S. Thomæ, Sacram Communionem devotè sumptam ex opere operantis valere ad satisfactionem pœnarum pro Animabus Purgatorii, quibus à suscipiente applicatur, quod etiam, & ex abundanti confirmant exempla sequentia vulgari idiomate, sed non vulgari eruditione exarata.

U

Primò:

Primò : P. Martinus de Roa Societatis JESU, in lib. *Status Animarum Purgatorii* typis excusso Venetiis ann 1672. c. 11. ita scribit : Per consolatione delle persone, le quali nè sono Sacerdoti, nè possono far dire Messè per li Defonti so sapere, che Communicandosi, possono offerire per essi quell' opera, la quale sarà loro di tanto maggiore soddisfazione, quanto dal canto nostro haveremo posto più affetto, e travaglio in farla; non solo in purificare la coscienza per mezzo del Sacramento della Penitenza, ma anco nell' andare alla Chiesa, e nel fare Orazione, nell' aspettare il Sacerdote, & il tempo per ricevere la Sacra Eucharistia; e nel dare gratie con eguale quiete, e devotione: perche tutte queste opere sono di merito, e di soddisfazione; e si può questa offerire per li Defonti.

Blossio nel cap 6. *Monit. Spirit.* riferisce d'un Defonto, che apparve circondato di fuoco ad un amico suo, e gli disse, che ardeva in quelle fiamme, perche vivendo era stato trascurato nel ricevere la Sacra Communionem; che la ricevesse per lui con la maggiore devotione, che potesse; perche con questo sarebbe uscito da quelle fiamme. L'amico la fece, preparandosi con la disposizione, che gli era stata detta; & il Defonto ritornò a lui il dì seguente; e gradì all'amico suo la liberatione, che godea per quella buona opera.

Secundò : Illustriss. ac Reverendiss. Alexander Spersl. Episcopus Eugubien. in sua *Parenti Teleturgica* cap 66. propò finem ita scribit : Ma che sarà, chi non è Sacerdote, nè ha commodità di dare lo stipendio ad altri per suffragare quelle Anime tormentate? Oltre al potere con digiuni, & altre opere penali, e con le Indulgenze, per modo di suffragio, ajutarle; efficacissimo mezzo è anche il Communicarsi per quelle, L'Hostia Sacratissima è sì ubertosa di grazie, che anche in questa guisa le dispensa à fedeli Defonti.

Tertio : P. Carolus Gregorius Robignolus Societatis JESU, in *Opusculo la Pietà ossequiosa*. In dissertatione de commemoratione Defunctorum, ait : Il B. Henrico Sufone offeriva per li medesimi Defonti orationi, digiuni, e cilici. Ma un' Anima messaggiere del Purgatorio, comparlagli con dolci querele disse, che più tosto richie de va il Sangue del Redentore, per mitigare meglio le sue fiamme; cioè Sacrificii, e Communioni.

Et de suffragio excellenti, quod reportant Animæ Purgatorii in satisfactionem pœnarum ex Eucharistica Communionem, videtur loquutus S. Augustinus lib. 9. *Confess.* c. 12. & 13. ubi Sancta Monica Matris suæ defunctæ memoriam agens, subdit : Offeritur Sacrificium pretii nostri pro Monica matre, quæ desideraverat sui memoriam post mortem ad Altare (cui nullius diei præmissione servierat) fieri; unde sciebat dispensari Victimam Sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Per illa verba : Unde sciebat dispensari Victimam Sanctam, utique significatur Communionem Eucharistica, quæ ex Altari dispensabatur fidelibus, à quibus manducabatur, & offerebatur in satisfactionem pro Defunctis; quod vetusto illo tempore notum erat Sanctæ Monica; & apud ipsam, & alios pie communicantes erat in usu quotidie.

DECISIONIS LIX.

Ad Decembris primum Casum.

ARGUMENTUM.

Proponitur decidendum, quot peccata committat quidam ebrietatis vitio deditus,

qui die Paschatis post Sacram Communionem susceptam, vadit ad Tabernam, in qua inebriatus, defertur domum à bajulis, ubi Uxor, & filii pauperes prandium præstolantur. Explicatur, quid sit Ebrietas? Quale peccatum? Quæ pœnæ à Jure statutæ contra Ebriosos? Et resolvitur ab Ebrio prædicto sex mortalia peccata commissâ fuisse.

SUMMARIUM.

- 1 Sobrius unde dictus? & unde Ebrius?
- 2 Crapula quasi cruda Epula.
- 3 Ebrius, & Ebriosus in quo differant?
- 4 Temulentia unde dicta?
- 5 Ebrietas quid sit?
- 6 Ebrietas an sit peccatum mortale?
- 7 μεθυσας, idem, quod μεθυσω.
- 8 Ebrietas ex inadvertentia non est mortale.
- 9 Medici non possunt suadere alicui ebrietatem.
- 10 Patriarchæ antiqui quomodo excusentur ab ebrietate.
- 11 Ebrietas quibus cautionibus à bibente evitetur?
- 12 Aqua mixta vino tria bona facit.
- 13 Pena contra ebriosos.
- 14 Divortium mulier facere potest, si vir sit ebrius.
- 15 Ebriosus Sacerdos potest suspendi à divinis.
- 16 Ebrius factus die Paschatis, post receptam Sacram Communionem, sex peccata mortalia committit.
- 17 Peccans in die festo, an duo peccata committat?
- 18 Maritus tenetur alere Uxorem, ac filios sub pena peccati mortalis.

PRIMUS CASUS.

Sulpicius, ebrietatis vitio deditus, sua peccata confessus, & pro adimplendo Ecclesiæ præcepto ipsa die Paschalis solemnitaris Sacra Eucharistia refectus, ab amico ebrioso ad tabernam vinariam invitatus, ibi ab hauritu vini non cessavit, donec ebrius factus à duobus bajulis sustentatus sub brachiis, ad propriam domum, ubi uxor famelica, una cum filiis, eum aliquid pro prandio ferentem expectabat, ductus est. *Quæritur, quot peccata commiserit.*

PRO casus resolutione tria fuerunt præmissa.

Primum : Quod sicut sobrius dicitur, quasi briam, id est mensuram servans. S. Thom. 2. 2. *quest.* 149. art. 1. ita ebrius denominatur quasi extra briam, id est excedens mensuram. Lessius lib 4. de *Justit. & Jure* cap. 3. num. 13. Quandoquidem, quemadmodum crapula appellatur quasi cruda epula; sic ebrietas deducitur ab E, quod est sine: & à Bria, quod est mensura. Glossa in cap. A *Crapula* 14. de *Vita, & honest. Clericor.* quia tunc homines ebrii fiunt, cum sine mensura bibunt. Hæc est autem differentia inter ebrium, & ebriosum, quod iste ex consuetudine facundis exhaustiendis calicibus vacet, ille autem quasi inopinatò bibens amittat usum rationis. Zacchias in *Quest. Medicoleg. consil.* 25. n. 9. adeo ut ebrius actum, ebriosus habitum indicet, juxta dictum S. Ambrosii lib. de *Parnit.* apud *Fonnetum* lib. 1. cap. 2. Ebriosus est, qui dum absorbet vinum, mala ebrietatis consuetudine absorbetur à vino. Nec